



perfectam remanere. Ergo à sensu contrario, si iam absolvit, & post aliquod tempus supervixit, & nihil scripsit, testamentum illud perfectum manet. Et ratio est, quia quando supervixit, & non adscripsit illam substitutionem, quam adscribere destinaverat, videtur illius destinationes pœni-

tuisse: atque ita cum eo absoluto à se testamento decedere voluisse. Hucusque Menochius, qui in comprobationem alia refert. Cui limitationi, & Doctrinæ facit traditum infra cap. 12. num. 14. vbi si casus se obtulerit, recurrendum est pro exornatione.



CA



CAPUT XI.

AN SIT IMPERFECTA VOLUNTAS, & testamentum ratione voluntatis imperfectum, cum adscripturus fuisset testator condiciones institutioni, siue alijs rebus iam dispositis, & non adscripsit ob impedimentum; & de interpretatione textus in lege quoties, 9. §. tantumdem. ff. de heredibus instituendis cum lege si testamentum, 8.

C. de institutionibus, & substitutionibus.

SUMMARIVM.

Conditiones si adscribere voluit testator institutioni, vel alijs rebus iam dispositis, & morte præventus non potuit, imperfecta est voluntas, & testamentum imperfectum ratione voluntatis. 1. & 2.

L. quoties, 9. §. tantumdem, ff. de hered. instituend. traditur. 3.

L. si testamentum, 8. C. de instit. & substit. antinomiata traditur. 4.

Bartoli interpretatio ad §. tantumdem refertur. 5.

Antonij Gomezij interpretatio ad idē, 6. Duareni. 7. Fachinei. 8.

Interpretatio iuridica ad prædictam antinomiā ex Fachineo, & Antonio Fabro refertur, & probatur. 9.

Menochij opinio circa omissionē conditionis refertur, & impugnatur. 10.

Imperfecta est voluntas testantis non solum si testator condiciones adscribere voluit circa heredem institutionem, sed etiam si alijs rebus iam dispositis condiciones, aut qualitates adijcere decrevit, & non potuit. 11.

Omissio conditionis vitiat institutionem, quando noluit testator

M 2 tor

tor institutionem sine conditione valere. 12.

Omissio conditionis non vitiat institutionem, quando testator habuit tempus exprimendi conditionem, & non expressit. 13.

Imperfecta voluntas dicitur, & testamentum imperfectum ratione voluntatis, & invalidum, quando testator adscripturus erat suæ institutioni, vel dispositioni conditiones, & morte præventus nõ adscripsit. Sic Baldus in l. quoties 9. §. tantumdem n. 1. ff. de hered. instituend. Corneus conf. 118. nu. 4. vol. 3. Craveta conf. 147. nu. 6. Ruinus conf. 204. num. 8. lib. 2. Curtius Iunior conf. 12. nu. 2. Menochius conf. 224. n. 10. vol. 3. & de præsumptionib. lib. 4. præf. 5. n. 6. Petrus Surdus conf. 258. n. 19. Menchaca de success. creat. lib. 3. §. 22. nu. 6. vers. Secundus casus, Marcus Anton. Natta in §. ex imperfecto legis hac consultissima, C. de testamentis, nu. 139. Castillo lib. 4. cap. 21. nu. 8. Antonius Gomez in l. 3. Tauri num. 105. Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 220. num. 16.

Ratio huius est eadem, quæ traditur capite antecessi

menti, & supra cap. 5. Et continetur infra cap. 12. cū enim testamentum sit quid individuum, & recipiat perfectionem ab ultimo puncto, & nihil dicatur actum, quando aliquid superest agendum, si tacite vel expresse constet quod testator volebat aliquid detrudere, vel addere, sive ad dicere conditiones sue institutioni, vel alijs rebus iā dispositis, eo casu semper voluntas testatoris dicitur imperfecta. Sic optime Surdus d. n. 19. Aret. & Castræsis in d. l. si quis cum testamentum, ff. de testamentis.

Hoc idē probatur ex textu in l. quoties 9. §. tantumdem, ff. de hered. instituend. vbi Vlpianus sic: *Tantumdem Marcellus tractat, & in eo, qui conditionem destinans inserere, nõ addidit, nã, & hunc pro non instituto putat.*

Qui textus difficilis iudicatur, quia antinomiatus est cū l. si testamentum 8. C. de instit. & subst. vbi habetur, quod si testator dixit, quod instituebat hæredes secundum conditiones infra scriptas, & postea mortuus est ante quã aliquã apponeret, valet testamentum, & sustinetur institutio, l. cū pater, §. vicos, ff. de leg. 2. l. 2. ff. de her. inst. de quibus supra c. 5.

Hæc

Hæc iura, vt contrarietas evitetur, diversimodè conciliantur à Doctoribus, adeò vt octo solutiones referat Nicol. Gen. de scriptura privata lib. 6. c. 1. ex n. 132. Bartolus in d. §. tantumdem facit distinctione, & inquit, quòd quando testator destinavit institutioni per cum factæ addere conditione, & hoc expressit, cum autè devenit ad actum omisit per errorem, tunc institutio vitatur, & ita procedit textus in d. §. tantumdem, at cum testator non dixit se expressurum conditionem tunc cum institutionem faceret, sed se expressurum postea, & sic alio tempore, hoc casu si omittatur, dispositio non vitatur, & ita procedit textus in d. l. si testamentum, quia in primo casu fuit imperfecta voluntas, cum tempore testamenti conditione voluisset exprimere, & non fecit, in secundo non est imperfecta, quia in aliud tempus reservavit expressurum, quod cū nõ fecit videtur pœnituisse. Sic cum Bartulo Baldus ibidem n. 1. Sebastian. Nœvius in sistema iuris in d. §. tantumdem n. 5. Curt. Iun. d. conf. 12. num. 2. & nos supra cap. 9. num. 10.

Anton. Gom. in l. 3. Tauri

num. 105. inquit, quòd valet testamentum in casu dictæ legis si testamentum 8. C. de institut. & substitut. quia ibi testator complevit, & absolvit totum testamentum, & visus est pœnituisse prioris voluntatis, at in casu dict. §. tantumdem testator non perfecit, nec consummavit testamentum, sed morte est præventus, antequam absolveret vel consummaret; vnde non valet testamentum nec institutio. Idem Gomezio non relato respondet Antonius Merenda lib. 4. controversiarum cap. 48. num. 7.

Duarenus ad titulum de conditionibus institutionem capit. 3. ad finem existimat, Vlpiano in d. l. quoties, §. tantumdem, Marcellis sententiam non probari, eo quod in d. l. 2. ff. de hered. instituend. eamdem improbare videatur.

Fachin. lib. 4. cõtrov. cap. 4. versic. Sed huic decisioni inferes Duarenus inquit, quòd revera Vlpianus in §. tantumdem in verbis, ibi: *Pro non instituto putat*, Marcelli sententiam simpliciter, & absolute non probat, nam subdit postea. *Sed si conditionem addidit, dum nollet heredem futurum, detraha ea, nec nuncupatum videri;*

M 3 quod

quod contra voluntatem scriptum est, quam sententiam, & ipse, & nos probamus. Ex quibus verbis apparet eo tantum in casu Marcelli sententiam probari, quo voluntas testatoris est, ut detracta conditione hæres non sit, quo in casu non est accipienda Imperatoris lex, sed tantum quando institutus est sub conditione declaranda, institutus tamen fuisset testator etiam sine conditione.

9 Ex his solutionibus, & interpretationibus, licet quilibet teneri possit, hæc Fachinei magis recepta est, & ex littera textus comprobatur, quia idem non valet institutio in dict. §. tantundem non declarante testatore conditionem, qua faciebat institutionem, quia noluit sine conditione valere, ibi: *Dum nollet heredem futurum detracta ea.* Sic exponit etiam Acurtius verbo putat, ibi: *Morte preventus non addidit non institutus sine conditione.* Iacobus Cuiacius in dict. leg. si testamentum, versio. *Neque obstat.* Anton. Faber de erroribus pragmaticorum lib. 2. Decade 35. errore 9. num. 5. Genua dict. cap. 1. num. 159.

10 Pro perfectione huius capituli animadvertendum est,

reiiciendum omnino esse Menochium ubi supra presump. 5. nu. 6. in medio, & d. cons. 224. num. 38. vol. 3. qui motus dispositione dictæ legis si testamentum, C. de instit. & substitut. inquit, quod tunc erit imperfectum testamentum ratione voluntatis, quando testator erat adscripturus conditionem, quæ volebat imminuere successionem hæredi relictam, alioqui (inquit) omisso conditionis non videtur significare imperfectionem testamenti quo ad institutionem, & substitutionem ex dict. l. si testamentum, nam certum est testamentum esse invalidum, & imperfectum ratione voluntatis, non solum in illo casu, sed etiam in casu, quo si testator non defecisset, aliud disposuisset, vel iam dispositis conditiones, aut alias qualitates adiecisset, ut per Parisiam cons. 145. num. 7. & seq. lib. 4. Surdus d. cons. 258. num. 19. Castillo d. cap. 21. num. 9. & 10. Imperfectio etenim voluntatis non consistit in eo, quod testator circa institutionem aliquid adijcere voluisset, & non potuisset, sed in eo quod alia fuisset dicturus, tam in particulari dispositione, quæ in univ ersali, vel

vel circa iam disposita, vel de novo disponenda, ut supra cap. 9. & infra cap. seq.

12 Reiciendus est etiam Fachineus d. cap. 4. vers. *Secunda propositio*, quatenus generaliter inquit, valere institutionem sine conditionibus, quas testator adscribere volebat; nam non ita generaliter est accipienda propositio; imò omisso conditionis vitiat constitutionem. Gratianus cap. 220. num. 15. quando noluit testator sine conditione institutionem valere ex d. §. tantundem. Et quando morte preventus non addidit cum vellet ex decisione dictæ legis si quis cum testamentum, & responso la voleni. Sed intelligenda est, quando testator habuit tempus exprimendi conditionem, & non expressit, quia videtur pœnituisse.

13 Ad hoc enim, ut imperfecta ratione voluntatis non valeat institutio, requiritur, quod in ipso actu testandi testator

aliquid adijcere voluerit, ut conditiones institutioni, vel alijs rebus iam dispositis, & morte preventus non potuerit, nec sufficit, quod antea adijcere vellet conditiones, quia potuit postea mutare voluntatem, & si non adiecit, cum tempus habuit, presumitur pœnituisse, Castillo lib. 5. cap. 74. Gratianus cap. 550. a num. 49. quo in casu verificari potest propositio Fachinei ex dictis supra. Atque ita concludendum est, quod si constat detracta conditione testatorem voluisse institutionem invalidam esse, quod tunc nulla erit dispositio, & institutio ex defectu voluntatis; semper tamen si tempore testamenti condescendi adijcere vult testator conditionem, & morte preventus non potuit, institutionem, & testamentum imperfectum ratione voluntatis, & per consequens invalidum iudicarem.

